ipsi ad refrenandum eundem tenebuntur adinuicem se iuuare. Quod si homines ipsorum aliquam iniuriam, uel uiolentiam per Rapinas, uel alias alter alteri inferret, infra quindecim dies debet emendari iuxta arbitrium predictorum. Et sine fraude Et malo ingenio ad hoc studebunt, ut concordia inter eos primitus ordinata et pacificus status terre firmiter obseruetur. Quod si altera partium ea que ordinata fuerint, ut predictum est, noluerit obseruare, ille per quem steterit et per litteras arbitratorum publicatum fuerit, tamquam infamis et uiolator fidei ab omnibus habeatur. Quod si aliquis de predictis quinque uiris non posset uel nollet se intromittere de tractanda concordia nominata, alter ei ydoneus de uoluntate partium subrogetur. Vt autem hec omnia plenius obseruentur, presens scriptum Sigillis nostris et predictorum dominorum fecimus roborari. Huius rei testes sunt: Albertus Comes de Mosburch, Purchardus de wier, Marschalcus de ....., S. de Frowenberc, Arnoldus de Maessinhusen, Fr. de Vfsezze, C. de Hohenuels, Al. de Ezlo....., et alii quam plures. Actum apud Landeshut, anno domini MCCLIV., VIII. Kalendis (sic!) Octobris, XII. indictione.

Original im Königl. Bairischen Reichsarchive.

Anh. das bei Nr. LXI. abgebildete Siegel des Burggrafen Friedrich III. von Nürnberg.

LXIV.

Schiedspruch
zwischen dem Bischof von Bamberg und den Meranischen Erben.

18. Januar 1255.

Nos Ludwicus Pincerna de Rotenhagen, fasanus et Chunradus Stuhso de Hoehsteten presenti scripto profitemur et notum facimus vniuersis, quod, cum coram Illustribus ducibus Bawarie in nos, tanquam in arbitratores, esset compromissum, et Vlricum Steronem et Eberhardum de Giech, ita, ut quicumque nostrum interesse non possent aut nollent, alii loco eorundem substituerentur, de consensu partium, uidelicet domini nostri Babenbergensis Episcopi et Ecclesie Babenbergensis Ex una parte, nobilium uirorum dominorum Fr[iderici] de Truhendingen et *Fr[iderici] Burcgrauii de Nurenberch* ex altera, adtemptatum fuit ex parte domini nostri Episcopi, cum predictus Stoero et Eberhardus de Giech non possent, legitimis detenti impedimentis, labori interesse arbitrandi, ut alii duo pro uoluntate dictorum nobilium substituerentur. Ad quam substitucionem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nominati fuerunt per dictos nobiles: Vlricus dictus Spiez et Wolframmus de Ramsental; quibus, cum dominus noster Episcopus et sui adiutores parati essent in omnibus obedire, predicti nobiles potestatem arbitrandi in eos nullam conferre aliquatenus uoluerunt, propter quod arbitrium de concordia extitit impeditum. Nos itaque in forma compromissi in nos collati, ad instanciam predicti domini nostri Episcopi, procedere uolentes, pronunciamus: quod in nos fuit compromissum super diuersis discordiis et controuersiis, que orte fuerant inter venerabilem dominum nostrum Babenbergensem Episcopum et Ecclesiam Babenbergensem Ex una parte, et nobiles uiros dominos Fr[idericum] de Truhendingen et *Fr[idericum] Burcgrauium de Nurenberch* ex altera, a tempore, quo inter eos per venerabilem Herbipolensem Episcopum bone memorie concordia extitit reformata, Et super dampnis hinc inde datis, Super reformacione quoque pacis et boni Status terre, Et qualiter unicuique iura sua possent illesa in posterum conseruari, Et super inuenienda uia, qualiter utraque pars alteri secure se posset committere, Et super quibusdam aliis articulis in publico instrumento Illustrium Ducum Bawarie sigillis roborato comprehensis, ita, ut utraque pars nostre super premissis ordinacioni deberet sine contradictione qualibet obedire, in tantum, ut pars rebellis infamis et periura ab omnibus haberetur. Et inuenimus venerabilem dominum nostrum Babenbergensem Episcopum, vna cum omnibus adiutoribus, fidelibus et ministerialibus suis, nostre super premissis ordinacioni uelle in omnibus subiacere, et ea que pacis et amicicie essent deuotissime obseruare; Partem uero dictorum nobilium inuenimus diffugia querentem et nolentem aliquo modo nostris ordinacionibus subiacere. Et hoc non in odium cuiusquam dicimus, sed sub testimonio ihesu christi, qui est cognitor omnium secretorum. Quia ex forma compromissi in nos collati teneamur, partem ream et obedire nolentem nostris literis incusare, Partem igitur predictorum nobilium presentibus incusamus, ita, quod pene prenotate debeat subiacere, partem memorati domini nostri Episcopi decernentes omnimodis innocentem. In cuius rei testimonium presentes literas iussimus sigillorum nostrorum impressionibus roborari. Huic autem exactissime adtemptacioni nostre, pro ordinanda pace et concordia inter predictos dominum nostrum Babenbergensem Episcopum et Ecclesiam Babenbergensem et nobiles Fr[idericum] de Truhendingen et *Fr[idericum] Burcgrauium de Nurenberc* dominos, interfuerunt: venerabiles uiri Albertus maior prepositus Babenbergensis, O. de Ortenburch prepositus sancti Jacobi, Fr[idericus] decanus, H. veteris Capelle prepositus Ratisponensis, ... Comes de lainingen, Eber. de Schawenberc canonici Babenbergenses; Nobilis uir Fr[idericus] de vfsezze, w. Marschalcus et yringus de Chunstat, H. de Stripperch, w. dapifer de Newanstorf, ditricus miles de ....., Perhtoldus de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vendbach, Vlr[icus] dictus Spiez et alii plures. Actum in campis inter Schehsliz et Memelstorf, Anno domini M° CC° L° quinto, XV. Kalendas Februarii, placito uero et adtemptacione placiti durantibus per precedentes sex septimanas, XIII. Indictione.

Original im Königl. Bairischen Reichsarchive.

LXV.

Burggraf Conrad I. von Nürnberg und sein Sohn Friedrich III. verkaufen ihre Erbrechte an Burgund dem Grafen Johann von Burgund.

3. Juli 1255.

Ego *Corraudus Burgrauii de Nuremberc et Ego Fredericus filius ejus*, Notum facimus presentes litteras inspecturis vel audituris, quod nos vendidimus, guitauimus et concessimus Nobili Viro Johani Comiti burgundie et domino Salinensi et heredibus suis, quos habet ab ysabella de Cortonay Comitissa, Uxore sua, quicquid iuris habemus, habere possumus et debemus in Comitatu burgundie et eius appendiciis et in regno francie, *excepta auocatia bisuntina*, tam ratione *elizabeth vxoris mee, burgrauii Junioris*, quam ratione donationis et Concessionis nobis factarum a domino W. illustri rege romanorum semper Augusto super omnibus feodis, que quondam dux meranie Otto, frater dicte uxoris mee burgrauii Junioris, ab imperio tenebat et tenere debebat ratione Comitatus burgundie et quacumque alia ratione, quam habemus et habere possumus in dicto Comitatu, pro Septem mille marcis argenti, quas recognoscimus [recepisse in pec]unia numerata, Versa in vtilitate nostra, et de quibus nos tenemus [pro pagatis, renun]ciantes exceptorum non sollute et non numerate pecunie et omni Juri tam canonico, quam ciuili et omni Consuetudini, per quam posset dicta venditio impediri. In cuius rei testimonium presenti Scripto sigilla nostra duximus apponenda. actum et datum anno gratie MCC quinquagesimo quinto, apud *argentinam*, die sabbati proxima post festum apostolorum petri et pauli.

Original im Provinzial-Archive zu Besançon,
sonst zu *Dole*, woselbst auch die nachstehenden, auf dieselbe Sache bezüglichen Urkunden aufbewahrt wurden.

An den eingeklammerten Stellen ist das Original beschädigt;
von den angehang. zwei Burggräfl. Siegeln findet sich nur noch das von *Friedrich III.* (s. bei Nr. LXI.) vor.

Vgl. Spiess Arch. Nebenarbeiten II. 43.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf